

## Ill̄m̄us ac R̄m̄us Caelestinus Maria Cocle (1783–1857)

Gratum fore dilectis confratribus arbitramur, si e vita huius illustris Institutii sodalis praecipua facta collegerimus, eo vel magis, quod vivus et mortuus multorum calumniis iniustissime impeditus est et impeditur usque in praesentem diem. Utinam mox aliquis Pater iunior de Antistite Cocle suam doctoratus thesim scribat abundantia archivorum studio nutritam!

Natus in loco Apuliae San Giovanni Rotondo (ubi nunc famosus P. Pius O. M. Cap. moratur) d. 23 Nov. 1783, Caelestinus M. Cocle sedecim annos natus (21 Nov. 1799) in collegio Paganensi vestem Ligoriam induit et eodem die a. 1800 recurrente vota nuncupavit. Sacerdos ordinatus est d. 17 Sept. 1806.

Fervorem primis annis acquisitum postea prorsus non perdidit. Quod ut comprobet, P. Franciscus M. Pecorelli in suo elogio funebri (Neapol. a. 1857, p. 13) allegat triplicem totius vitae meditationem diurnam, ieunium cuiusvis sabbati, et in certis quidem vigiliis in pane et aqua, cilicium cotidie per tres horas gestatum usque ad illum d. 27 Febr. 1857, quo apoplexia correptus est.

Ingenio quoque pollebat P. Cocle et eloquentia ita, ut inter primos familiae nostrae oratores referretur. Fuit quoque eximius Lector studiatus. Dato autem nobis a Pio PP. VII a. 1815 in Alma Urbe ex-monasterio Mercedariorum cum adiacenti ecclesia B. M. V. *in Monterone*, P. Cocle a R̄no P. Blasucci primus hospitii Superior renuntiatus est. At ubi duos menses in Urbe stetit, Neapolim rediit, Romae Consultorem generalem P. Vincentium Antonium Giattini solum relinquens. Neapoli enim rex Ferdinandus I (IV) nobis d. 6 Oct. 1815 ex-conventum Conventualium cum ecclesia S. Antonii, *a Tarsia* nuncupata, dederat. Eius possessionem exeunte hoc anno vel ineunte a. 1816 iniere P. Desiderius Mennone (qui mortuus est a. 1825 Episcopus Laquedoniensis) et P. Cocle.

Hic, quia P. Philippus Colombo († 1828) d. 13 Iul. 1816 sponte officium Procuratoris generalis deposuerat, d. 30 Oct. eiusdem anni rite ei

suffectus est, et qua talis interfuit Capitulo generali a. 1817, quod tamen in fine novum Procuratorem elegit, Patrem Giattini, semper Romae residentem (qui ceterum iam diu hoc titulo usus fuerat, quod revera penes S. Sedem Procuratoris negotia gerebat). P. Cocco autem d. 5 Nov. 1817 collegio Nucerino praepositus est et cum Illmo Cimino operam suam efficacem contulit aedificando novo B. Patris Alfonsi sacello.

Capitulo generali a. 1824, mortuo P. Mansione, ad B. Alfonsi sepulchrum congregato P. Cocco interfuit qua Consultor generalis. Etiam Secretarius Capituli mox electus est et d. 11 Iunii in tertio scrutinio suffragiis 24 ex 36 rite electus supremus Alfonsianae familiae Moderator, annos vix natus 41.

In Documentis Miscellaneis a pag. 223 ad 269 variae leguntur epistolae et ordinationes Rmni P. Cocco, eius sapientiam et observantiae zelum luculenter probantes. Etiam notitiae gratae intermiscentur, velut 12 Iun. 1825: «Ex omnibus regionibus insonant voces de prodigiis a Deo in nostris missionibus patratis ad salutem animalium, et omnes populi salutares has aquas sitientes nil aliud nisi missionarios et missiones a nobis querunt... (Leo PP. XII) manifestavit nobis flagrans desiderium suum ut Congregatio nostra in Bavaria repristinetur; et nisi sodalium penuria nos potius restringere cogeret, ipsius esset votum ut domus nostrae etiam in sua Ditione multiplicarentur». Revera iam subsequente anno in Pontificis urbe patria Spoleto nova domus aperta est. — Pariter 20 Oct. 1726 P. Cocco laetus nuntiat subditis, anno elapsu octoginta missiones peractas esse, praeter septuaginta et ultra exercitiorum cursus.

Medio a. 1827 Rmns P. Cocco a rege Francisco I iussus est Quadragesima anni sequentis sibi suisque in sacello domus regiae exercitia spiritualia tradere. Suscepit Rector Maior in se grave manus eoque tam egregie perfunctus est, ut rex eum institutorem liberorum in sacris eligeret<sup>1</sup>. Quin etiam, cum rex a. 1829 Matritum se conferret, Christinam filiam Ferdinando II, Hispaniae regi, in matrimonium daturus, Patri Cocco summam curam familiae commisit. Contionem, quam hic «de peccato mortali principum» habuerat, adeo regis animum commoverat, ut identidem eius textum legeret, praesertim ante confessionem et in ipso mortis lecto eum sibi ab alio praelegi voluit. Francisco rege a. 1830 mortuo, Ferdinandus II rex Patrem Cocco confessarium retinere voluit, et admonitus moris esse aulici, ut confessarius regis esset dignitate archiepiscopali, impetravit a Curia Romana, ut P. Cocco renuntiaretur Archiepiscopus de Patras in partibus.

Sic P. Cocco fuit primus, et fortunatus unicus Redemptorista, qui scabrosum officium confessarii regii suscipere debuerit. Episcopatum Mel-

<sup>1</sup> Hoc accidit d. 8 Maii a. 1828. Rmns P. Cocco positus fuerat ante dilemma peregritorum, aut munus illud aut episcopatum accipiendi. Ita antiquus Catalogus, t. II, f. 1.

phiensem et S. Agathae Gothorum, iam a Francisco I oblatos, reiecerat fortiter, item quater postea archiepiscopatum Patrensem, donec Gregorius PP. XVI eum sub formali praecepto obligaret. Praeconizatus in Consistorio pridie Kal. Oct. 1831, d. 13 Oct. coram suis sex Consultoribus munere Rectoris Maioris se abdicavit, et Kal. Nov. eiusdem anni in ecclesia nostra Neapolitana per Nuntium Apostolicum consecrationem recepit.

Ad S. Antonii a Tarsia degere perrexit, quamquam vix dies praeteribat, quin apud regem, cui carissimus erat, sive in palatio Neapolitano, sive Casertae, sive Stabiis..., versari deberet<sup>1</sup>. Illo tempore proinde etiam familiariter utebatur (at semper summa cum modestia, ut in elogio funebri dicitur) Ven. Famula Dei Maria Christina de Sabaudia, prima uxore Ferdinandi II, quae a. 1836 in partu futuri Francisci II sanctam mortem obiit, et secunda uxore regis Maria Teresia de Austria<sup>2</sup>.

Fortunae humanae inconstantiam etiam Antistes Coclē abunde expertus est. Rerum enim novarum cupidi, liberales nuncupati, hunc Praelatum «conservatorem» multum aversabantur; religionis autem inimici insignem religionis in vita publica fautorem odio implacabili prosequabantur. A. 1847 etiam regis favore excidisse videtur; saltem confessarii regii munus amisit. Subsequente anno, eversionum publicarum pleno, Stabiis aliquamdiu custodia detentus est et postea in insulam Melitam in exsilium missus. Inde a. 1849 reversus, Neapoli in domo nepotum in regione urbis Montesanto sita vitam privatam degere coepit, operibus pietatis et beneficentiae unice intentus, valetudine utens parum commoda.

Cum a. 1846 iuxta consuetudinem aliquot dies in sacra eremo Camaldolensi transegisset, novitiis valedicens: «Orate (inquit), ut Dominus mihi tantis curis liberato gratiam concedat saltem per decennium ad mortem me praeparandi». Revera talem gratiam consecutus est pius Praelatus.

Sic igitur venit dies 27 Februarii 1857. Mane suam confessionem pergit et sacrificio Missae sueta devotione celebrato longam fecit gratiarum actionem ac recitavit, uti a multis annis cotidie facere consueverat, protestationem pro bona morte. Versus horam 11 apoplexia correptus est tertium, et fortius quam antea, ideoque subito munitus ultimis sacramentis. Adhibitis remediis malum cedere videbatur, et usque ad d. 2 Martii affulgebat spes recuperandae valetudinis; sed post meridiem morbus vehementius invalescens e vivis eum eripuit circa median noctem. Toto illo tempore semper ei duo confratres astiterant.

<sup>1</sup> Haud ita pridem prof. Ios. Paladino de rege Ferdinando II calumniose scripsit: «Troppo si lasciava influenzare dal suo confessore mons. Coclē, onnipotente fino alla vigilia del 1848» (*Enc. Ital.* XV [1932], 8).

<sup>2</sup> Haec, et non Ven. Maria Christina, ut saepe asserebatur, vestem suam nuptialem Paganensi statuae B. M. V., dictae *Madonna dello Spirito Santo*, dono dedit.

Die 6 eiusdem mensis in ecclesia nostra S. Antonii a Tarsia in exsequiis sollemnibus P. Pecorelli pulchram illam orationem funebrem legit, quae etiam typis postea excusa est, fraternae caritatis perenne monumentum. In sacello lateral i eiusdem templi Antistitis Cocco sepulchrum inventur, sicut ipse vivus cupierat, cum effigie eius e marmore exsculpta et hoc longo epitaphio:

HIC REQUIESCIT IN SOMNO PACIS UT SIBI VIVENS CAVERAT || COELESTINUS MARIA  
COCLE MICHAELIS FILIUS || QUI IN CONGREGATIONE SS. REDEMPTORIS PRIMUM CONSUL-  
TORIS GENERALIS || MOX AMPLISSIMO RECTORIS MAIORIS MUNERE FUNCTUS || A FERDI-  
NANDO II P. F. A. UTRIUSQUE SICILIAE REGE EXCIPIENDIS SACRIS CONFESSIONIBUS ADSCI-  
TUS || DICTUSQUE ABBAS COMMENDATORIUS S. MARIAE NOVAE ODEGYTRIAE || A GREGO-  
RIO XVI P. M. ARCHIEPISCOPUS PATRARUM PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS ET PRAELATUS  
DOMESTICUS RENUNCIATUS || AB ALMO THEOLOGORUM COLLEGIO NEAPOLITANO COOPTATUS  
DECANUS PRAETER MOREM PERPETUUS ADLECTUS || PRAETEREA S. M. O. HIEROSOLIMITANI  
BAILLIVUS ET MAGNAE CRUCIS EQUES || TUM FRANCISCI I TUM BRASILIANI ORDINIS CHRISTI ||  
HERCULANENSI ACADEMIAE ALIISQUE PLURIBUS ADSCRIPTUS || PER OMNES HONORUM GRA-  
DUS SUAM PIETATEM FORTITUDINEM MODESTIAM INTEGRITATEM SOLERTIAM || AC SUMMAM  
IN UTRAQUE FORTUNA AEQUANIMITATEM ABUNDE OMNIBUS PROBAVIT || IDQUE PRO VIRILI  
UNICE STUDUIT UT RELIGIO FLORERET MORES EMENDARENTUR || REGIAE MAIESTATIS IURA  
SARTA TECTA ESSENT || EGENIS ET MISERIS GRATIA FAVORE EFFUSIS LARGITIONIBUS QUA  
POSSET CUMQUE RATIONE SUBVENIRET || OBIUIT POSTRIDIE CAL. MARTIAS MDCCCLVII ANNOS  
NATUS LXXIII MENSES III DIES VIII || PASCHALIS COCLE IOANNIS F. || ORDINIS S. GREGORII  
MAGNI EQUES COMMENDATORIUS PROTONOTARIUS APOSTOLICUS S. THEOLOGIAE MAGISTER ||  
PATRUO OPTIME EMERITO ET DESIDERATISSIMO CUM MOERORE ET LACRIMIS P. C.